Montandon

TENTAMEN MEDICUM

CIRCA

FEBRES INTERMITTENTES IN GENERE,

ET PRÆCIPUE CIRCA

TERTIANAS ET QUARTANAS,

Quod, Deo duce & auſpice Dei-parâ, in auguſtiſſimo Ludovicæo medico Monſpelienſi, publicis ſubjiciet diſputationibus,

AUCTOR,

Joannes-Baptista Montaudon, è Municipio de *Beſſinnes*, in nova partione gallicè dicta, *Département de la Haute-Vienne*, in alma academia Toloſana magiſter, nec-non licentiatus in artibus, olim ſaluberrimæ Toloſanæ facultatis alumnus, & jam-dudum in inclyta Monſpelienſi univerſitate ſtudioſus. Die 8a. menſis Julii anni Domini 1791, libertatis ſecundi.

Pro baccalaureatûs gradu in medicina conſequendo.

. . . . Exemplaria Grœca
Nocturnâ verſate manu, verſate diurnâ.
Hor. art. poët.

MONSPELII,
Apud J. F. Tournel & J. G. Tournel, Univerſitatis Medicinæ Typographos & Bibliopolas.


1791.

OPTIMO PATRUM

NEC-NON

TENERRIMÆ MATRI MEÆ,


Has in arte medica primitias, ut publicum extet gratitudinis reverentiæ & amoris monumentum,



DICAT, VOVET, CONSECRAT,

Addictissimus & obsequentissimus
Filius,

J. B. MONTAUDON.



TENTAMEN MEDICUM

CIRCA

FEBRES INTERMITENTES IN GENERE, ET PRÆCIPUÈ CIRCA TERTIANAS ET QUARTANAS.

FEBRES, inquit *Sydenhamus*, duas è tribus in medicinâ facienda, partes occupant; hinc patet quantum horum cognitioni ſit attendendum. Cæterùm febris invaſio & progreſſus, caliginem circà œconomiam animalem ſparſam, ex oculis medici obſervatoris tollit. In iſtis affectionibus, greſſum, ut ità dicam, naturæ ſequitur; qui igitur ſe arte medicæ devovent, iſtorum morborum cognitioni, præcipuè & ante omnia, indeſinenter ſunt incumbendi.

Sæpiſſimè febris reliquos morbos concomitatur, & tunc dicitur ſymptomatica. Hìc quæritur num febris morbo cuilibet ſuperveniens, laudandum ſit ſymptoma? Diverſæ à diverſis propoſitæ ſunt opiniones, plurimos notavit *Hippocrates* morbos, quos febris illis ſuperveniens tollit, & illud quandòque dicendum eſt de quibuſdam chronicis non valdè gravibus. Febres enim præſtantiſſimum ſæpè ſunt naturæ præſidium & inſtrumentum quo partes heterogenæ intùs aſſimilantur, vel impuræ à puris ſeparatæ, per aliquod emunctorium foràs amandantur; undè in hunc ſcopum, febris quandoque à medicis, juxtà quoſdam excitari debet. Aſt verò multi ſunt caſus in quibus præſtantiùs eſſet morbum ſine febre judicari.

Quando febris prædominium tenet, tunc idiopathicæ ſeu eſſentialis

nomen obtinet. Febrium essentialium vulgatior divisio, est in continuas & intermittentes; continuæ ipsæ subdividuntur in continentes & remittentes; continentes dicuntur illæ quæ uno tenore, sua tempora incrementi, status & decrementi percurrunt absque ullâ exacerbatione. Remittentes dicuntur, quæ suas habent in decursu exasperationes & remissiones, istæ, cæteris paribus, minùs graves sunt quam priores.

Febres remittentes & intermittentes ad infinitum usquè subdivisæ fuêre, ut videre est apud Nosologistas & præcipuè in operibus Nosologisticis *Sauvagesii* & *Cullen*. Hujusce vero dissertatiunculæ limites, nullam de his sinunt digressionem; cum autem omnium frequentissimus febrium intermittentium typus, sit tertianus & quartanus de his duobus generibus maximè agam, quædam tamen generaliora de cæteris addendo.

SYMPTOMATA.

In delineandis essentialibus febrium characteribus præsertim *Cullen* & *Sydenhamum* duces secuti sumus, sicuti & in curatione; en igitur quæ post illos notabiliora symptomata in febribus observavimus. Torpore vel sensu debilitatis languescit æger; in exercitando corpore inertia & in jucundo quodam habitu premitur; frequentes habet oscitationes, vultus & extremitates pallent; corporis superficies imminuitur; stricta videtur cutis tanquam frigore correpta.

Ubi hæc apparent symptomata, tactu frigiditatis sensatio, persentitur, cui parum attendit ægrotans, deinceps tandem horrore percutitur in lumbis vulgò oriente, brevique totum corpus corripiente; tunc tactu calida videtur cutis. Ubi crescit frigoris sensus, cuidamexhorrescentiæ in omnibus membris originem præbet. Illa demùm symptomata initiora fiunt, quibusque succedunt calidi fluctuationes, faciei rubori ansam præbentes. Frigus paulatim omninò evanescit, plusquam solitò incalescit corpus, tunc cutis anteà rigidissima mollior fit, calorique sibi peculiari, ferè redonatur; in habitu naturali redeunt cæteræ corporis partes, paululùm tamen aliquoties intumescunt ubi ebullitioni, rubori, nec-non turgescentiæ datum fuit incrementum. Parcissimo sudore frons irroratur, mox larga supervenit despumatio sudorifera, initio in inferioribus, deinde in toto corpore huc usque siccate exarensenti, sparsa; quæ dùm excernitur calor sensim cedit, nativam corpus acquirit temperiem, & pleræque functiones in statu suo stabiliuntur.

Tali modò fit horum-ce omnium fymptomatum fucceffio, ut in paroxyf-mis febrium intermittentium hæc tria tempora fpectanda fint, quorum phœnomena poft *Sydenhamum* delineavi (1). 1°. Tempus exhorefcentiæ; 2°. tempus ebullitionis; 3°. tempus defpumationis.

Ex quânam latenti caufa tam diverfa eveniant phœnomena in eodem paroxyfmo diù exquifitum eft ? Innumeraque excogitata fuêre fyftemata mere theoretica ad hujus quæftionis folutionem. Opinionem tantummodò *Sydenhami* referam, tanquam magis confentaneam cognitionibus quas habe-mus. Circà œconomiam animalem : arbitratus eft igitur *Sydenhamus* (2) « Exhorrefcentiam oriri ex eò quòd materia febrilis, quæ nundùm tur-» gefcens à mafsâ fanguinea ut cumque affimilata fuerat, jam tandem non » folum inutilis, verùm & inimica naturæ facta, illam exagitat quodam » modò, & laceffit, ex quo fit ut natura aliquodam modo irritata & » fugam molita, rigorem in corpore excitet, atque horrorem adverfationis » fuæ teftem & indicem. » Hæc explicatio plurimis illuftratur ab auctore citato exemplis & comparationibus, ut videre eft in eximio opere fuo; deinde fic pergit in tradendâ ebullitionis causâ « natura, inquit, hoc pacto » irritata quo faciliùs hunc hoftem à cervicibus depellat, fermentationem » aggreditur. . . . . Hujus autem effervefcentiæ beneficio disjunctæ pec-» cantis illius materiæ partes, quæ fanguini æquabiliter admixtæ fuerant, » aggregari quodam modò incipiunt, atque adeô leviori opera fubigi » poffunt, ut ad defpumationem opurtunæ evadant. Quibus omnibus elapfis, » tertium tempus, quod defpumationi dicatum eft, infequitur, quo fuc-» cedente fymptomata omnia primo leviora fiunt, atque tandem planè » evanefcunt. » Quamvis hæc thooria validiffimis objectionibus infirmari queat, & quamvis nullomodò confentanea effe poffit cum folidiftarum mente, hæc tamen probabilior nobis vifa fuit. Omnia fymptomata ad fpaf-mum referebat *Cullen*. Fateor equidem quod femper fpafmus fit caufa proxima illorum phenomenorum. fed cum ille fpafinus fit ipfemet effectus, quæretur adhûc à quânam ille oriatur causâ ? & tunc recurrendum erit ad fyftema *Sydenhami* cui folo accingo.

Nunc iterum quæritur, quomodò fiat ut redeat paroxyfmus, quando quidem ægrorum fors in vado jam conftituta videtur ? In hâc quæftione

---

(1) Vid. in tom. I. fect. 1. cap. V. pag. 46.
(2) Ibidem.

omnem theoriam respuo & procul arceo : hic enim, solam imaginationem consultaret, qui illud explicare conaretur : verùm, me judice, vanum est & ridiculum omnia sacra naturæ penetralia adeundi tentare; quamobrem quæ impenetrabili nube obducuntur, ea sunt relinquenda. Tantummodò igitur dici potest, post magistrum nostrum *Sydenhamum*, quod materia febrilis in primo paroxysmo nondùm tota emigravit, deinde post certum tempus, caput effert ac novum negotium naturæ facescit, idem stadium decurrens, quod in primo jam superius ostendimus. Verùm ut ad quæstionem modò propositam, redeam, scilicet cur materia peccans non eodem modò in omni febri intermittenti progrediatur nam, nunc duos; nunc tres dies exigit antequam novum paroxysmum excitet? post *Cullen* respondebo quod natura ordine periodico gaudeat; sic plerique homines benè valentes; iisdem fermè horis quotidie somno premuntur, fame excitantur, &c. Pulsus etiam manè lentior, mediâ die magis regularis, & nox cum venerit velocior, eamdem naturæ legem incusat, non alia igitur quærenda est istius phœnomeni explicatio.

Jam pauca sunt addenda de mutationibus in omnibus functionibus supervenientibus, dùm singuli grassantur paroxysmi.

Respirationis difficultatem leviorem graviorem-ve, esse febris comitem individuum, nemo nescit; item cum febre profundam pulsus, & quasi levem quandòque contractionem, quæ falsam præbet debilitatis speciem, cum fortior & vividior post sanguinis missiones evadat, in quibusdam febrium casibus arteriarum pulsatio, quam medicus observator, agnoscit parvam ex infarctu vasorum, non ex virium imbecillitate, neque ex defectu sanguinis. Vid. tract. path. ill. Prof. Tolosani & digniss. amici mei D. *Gardeil.*

Omnes functiones animales, nec-non naturales pariter perturbantur, ab alimentis aversantur febricitantes, jam terminato paroxysmo nausioses superveniunt : quæ non rarò vomitus cient, vulgòque ardente siti devorantur. Variantur quoque, durante paroxysmo, excretiones & secretiones. Urinæ, v. g. dùm viget exhorrescentia sunt quasi incolores, nullamque continent nubeculam aut sedimentum; in tempore ebullitionis, crassæ sunt & conturbatæ. Sedimentum autem lateritium, gallicè dictum *Briqueté* apparet tantùmmodò in tempore despumationis.

Quoad læsionem facultatum animalium, observatione constat quod difficiliores tunc fiant memoria & intellectus. Plerùmque dolor capitis supervenit, quando jam ebullitur corpus, licèt nonnunquam febricitantem, ineunte paroxysmo, invadat. Hunc capitis dolorem, sudor tandem veniens

tollit : ſæpiûs ægrotantes dolore acri premuntur in dorſo & præcipuè articulis.

DIAGNOSIS.

Ex enumeratione ſymptomatum jam recenſitorum, facilis eſt febrium diagnoſis & vel leviſſima adhibitâ cautela, cum nullis morbis, vulgò confundi poteſt hæc affectio.

DEFINITIO.

Febris intermittens, per ſuos effectus definita eſt arteriarum pulſationis frequentia, cum calore, quem plerùmque præceſſit frigus, & functionum læſione per regulares periodos rediens.

CAUSÆ.

Cauſæ febrem producentes, ſunt vel remotæ vel proximæ : cauſæ remotæ ſunt juxtà *Cullen*, contagiones & miaſmata (1). Sed eo modo de contagionibus loquitur, ut contagiones productæ per diſſolutionem putridam ſubſtantiarum animalium, febribus continuis ; quæ verò producuntur à diſſolutione putrida vegetabilium intermittentibus anſam præbent. Hanc-ce theoriam præclaro modo illuſtravit & illi augmentum præbuit, in ſap. prælectionibus ſuis, ill. prof. D. *Baumes*.

Quas quidem præcipuas cauſas, non autem unicas eſſe credimus : ſæpè ſæpiûs humor perſpirationis retentus, aliarumque evacuationum ſuppreſſio, motus nimius, immoderata venus, cæteraque animi pathemata totidem ſtimuli fieri poſſunt adverſus ſyſtema nervoſum & arterioſum, vel etiam degenerationem quamdam liquidorum producere, & conſequenter febri originem dare. Quibus ex cauſis oriuntur febres, mediantibus quidem cauſis proximis, quæ ſunt juxtà *Cullen* (2) debilitas & ſpaſmus. Ex ſpaſmo naſci poſſe omnia ſymptomata febris, ſive ſit ille cauſa ſive effectus degenerationis humorum, opinor : verum, an ex debilitate eadem ſymptomata & præcipuè ſpaſmus ? Difficillimum eſt huic quæſtioni ſatisfaciendi

---

(1) Vid. opus eximium cui titulus, *élémens de médecine pratique*, cum notis illuſt. *Boſquillon*.

(2) Ibidem pag. 16 & ſeq.

prorsùs modò respondere ; virium enim prostratio sæpissimè pro debilitate assumpta fuit , ab his qui affirmativè concluderunt , & illa confusio fuit semper fons errorum continuus ; ego verò credo ; quod debilitas , sive major minorve virium solutio quædam producat symptomata , non autem omnia ut asseruit *Cullen* (1).

PROGNOSIS.

Nihil opportuniùs mihi apparuit in hocce paragrapho , quam ex operibus *Hipp.* excerpere, & propriis verbis hùc transferre quasdam sententias prognosticas de febribus , de quibus nunc agimus.

Febres quæcumque non intermittentes , tertio die vehementiores fiunt , magis periculosæ ; quocumque autem modo intermittant , quod sine periculo sint , significat. *aph.* 43. *sec.* 4.

Intermittentes febres, aliquando malignæ evadunt , & in morbos acutos transeunt. *Epid.* 7.

Tertiana exquisita in septem ad summum circuitibus judicatur. *aph.* 59, *sec.* 4.

Febriscitanti , nisi diebus imparibus febris dimiserit reverti solet. *aph.* 51 , *sec.* 4.

Febrium omnium , tutissima , placidissima & longissima , est quartana , quæ & ab aliis magnis morbis liberat. *Epid.* 1, 3 , 17.

Quartanæ æstivæ , plerumque fiunt breves , autumnales verò longæ & maximè quæ prope hiemem insidunt.

Quibus in febribus quartanis existentibus , sanguis ex naribus fluxerit malum. *aph.* 5 , *sect.* 8.

THERAPEIA.

In tradendâ therapeiâ febrium intermittentium ; patet , quod habenda sit ratio tum tempestatum , tum naturæ febrium diversæ , & causarum si igitur rectum ordinem sequi nobis fas esset ante omnia , dividendæ forent febres quoad therapeïam & prognosim ; in febreales vernales & autumnales & indagandæ variæ tempestatum constitutiones : sed cum illud conamen non sit propositi nostri , & sit viribus impar ; cum autem limites propositæ non sinant febrium historiam ; cum aliunde verum sit , ut aït *Sydenhamus* , febres utriusque tempestatis ingenium non plane dissimile

---

(1) Ibidem pag. 18, 19, 20 & seq.

nancisci, hodiè tantùmmodo quædam generaliora tradam, ex quibu febres curari poterunt, dummodo semper habeatur ratio suprà enumeratorum, & insuper ætatis ægrotantis, constitutionis & idiosyncrasiæ, tum denique regionis, & præsertim epidemiæ grassantis. Quantum sint necessariæ istæ omnes circumstantiæ, luce meridianâ clariùs apparebit, si attendatur quod quædam, prompta & drastica remedia exigant ut sunt certæ epidemiæ, aliis vero parca sed longa & convenientia remedia sint necessaria, quales sunt autumnales; aliæ demum ut plerumque vernales, nullis frequentissimè egent remediis, sed soli naturæ sunt committendæ. Animadvertit *Sydenhamus* (1) febres intermittentes vernales, rarissimè fuisse diuturnas semper vero salutares : *contigit autem eodem medico* (2) *videre tertianas vernales, quæ ob phlebotomiam & catharsim indebitè celebratas, & regimen insuper cum morbo male quadrans, moras traxere etiam usque ad tempus illud quo autumnales solent invadere.* Illud sane verum esset si illorum remediorum culpandus fieret abusus, sed nimis puto, asserit *Sydenhamus*, cum dicit, ob unam tantummodo *catharsim* aut *phlebotomiam.* Attamen quamquam illud assertum non sit rigorosè verum, ex eo tamen merito concludendum quod hìc optimè quadret & numquam àmedico sapienti recedere debeat, illud medicinæ parentis famigeratum : *interdum optima medicina est nullam facere medicinam :* audiamus *Sydenhamum* ipsum optimas tradentem regulas & sana, (dummodo tamen rigorosissime non adhibeantur) præcepta præbentem. « Ut vera loquamur, inquit, nec » artem ostentemus, si harum febrium alterutra, *tertiana scilicet & quartana*, correptus æger vel infans sit, vel ætate floreat, convenit omnino » nihil medicamentorum quorumvis ope, aut aëris, aut dietæ mutatione » moliri, nihil enim hinc mali natum, hùc usque intellexi, si modo » totam rem naturæ permiserim. » Interdùm tamen etiam in vernalibus, administrandum emeticum, quod sanguinis missio præcesserit, si cæteræ circumstantiæ illud sinant remedium; & vulgò etiam pervicacissimæ hisce cedunt remediis (3).

His generalibus prælibatis, duas indicationes generales adimplendas statuam. Quæ omnibus ferè febribus conveniunt, illæsâ semper ratione,

---

(1) Pag. 40.

(2) *Ibidem.*

(3) Vide *Huxam*, Essai sur les fièvres, cap. 2, & *Celse*, lib. III, cap. 12.

quæ habenda est circumstantiis supra memoratis, & agendo juxtà præceptum magni *Sydenhami*, *juvantibus scilicet & lædentibus.*

Duæ illæ indicationes sunt, 1°. Cum accesserit paroxysmi insultus ad crisim morbi perfectam ducere; 2°. In intermissione causam tollere cùm ope dietæ, tùm medicamentorum.

In explendâ primâ indicatione, propositum fuit emeticum quod *Cullen* & *Bosquillon* suadent, vigenti exhorrescentiâ, vel ineunte ebulliotionis tempore; idem suaserunt *Celsus*, *Galenus*, *Paulus Eginensis* & *Riverius.* Hanc autem praxim post *Sydenhamum* omnino respuo, moxque dicam, loquendo de evacuantibus, quo tempore censeam quod usurpari debeat illud remedium. Insuper, credo, quod nullis remediis perturbanda sit natura, durante paroxysmo, nisi venæ-sectio, ex variis plethoræ symptomatibus judicetur necessaria; & tunc temporis celebranda est in tempore ebullitionis, quatuor circiter horis ante paroxysmi adventum. Sudores provocabat *Sydenhamus*, sero lactis, cerevisiato, cui salviæ folia incocta fuerant, quibus jam obortis, præcipiebat ut devoraret ℈ij pillularum cochlearum majorum solutarum in ℥j sequentis mixturæ, ℞ aquæ vitæ, ℔j theriacæ andromachæ ℥iij, croci angli ʒj mixta stent simul pro usu. Hæc ubi assumpserat in sudoribus continuè eliciendis persistere jubebat, donec elapsæ fuerant aliquot horæ ab illo tempore quo spasmus ingruere debuisset, magnâ cum cautelâ se muniens contra illas sudationis interruptiones, quas illi fortè crearent dejectiones aliquot à medicamento cathartico profectæ. (Vide op. *Sydenhami*, pag. 54.)

Aqua frigida potusque aciduli apprimè conveniunt, quando ab ægro appetuntur, inferius vero cum de diætâ agemus, quasdam de potu adjiciemus. Insuper ad eamdem indicationem obtinendam, commendarunt auctores narcotica & liquores spirituosos. Narcotica sola, vel narcotica stimulantibus conjuncta, aptissima sunt, ad tollendum spasmum totum corpus afficientem. Nemo autem nescit, quod quotidiè videmus febriscitantes sanatos exhaustis copiosè liquoribus spirituosissimis dum acri calore torquebantur. Istæ observationes prudentes monent medicos, ne semper nimium obstent febriscitantium votis. Hinc vero locum capiam dicendi quod medici sæpiùs debeant adscribere ægrotantium desideriis, quantumvis puerilia & etiam absurda illa videantur ut enim mens affecta variè varios procreare, item tollere potest morbos; hinc quotidiè videmus febres tertianas & etiam quartanas, (dummodo tamen maximè pervicaces non fuerint) evanescentes quia febriscitantes ridicula & superstitiosa

ſigna fecere (1). Ad eumdem, credo, fontem referendæ ſunt curationes factæ ope magnetiſmi (2).

Secunda indicatio quæ conſiſtit in intermiſſione, cauſam tollere, cùm ope dietæ tùm medicamentorum, duobus methodis obtineri poteſt : vel enim tollitur cauſa methodo depurativâ vel remediis efficacibus & ſpecificis. Sanguinis miſſio, uſurpata vigente, ebullitionis tempore, ut ſuprà memoravi. Si illam ſinant enumeratæ ſuperius circumſtantiæ, primum erit remedium methodi depurativæ. Mox, cum intermiſſio ſupervenerit adminiſtrandum erit emeticum.

Omnes fermè medici conſentiunt de adminiſtratione hujus præſtantiſſimi remedii, ſed apud eos non æquè conſtat de tempore opportuno ad illius adminiſtrationem. Alii contendunt illud dandum eſſe eo die quo febris intermiſerit, alii plurimis horis ante paroxyſmum alii demùm, vigente paroxyſmo. « Nonnumquam, aït *Sydenhamus*, emeticum tempeſ» tivè propinatum, ut nempè ante paroxyſmum negotio ſuo defungi

---

(1) Il ne faut pas s'imaginer que j'aie intention de conſeiller, comme un remède, tous ces ſignes ſuperſtitieux auxquels les médecins voient tous les jours avoir recours, ſur-tout parmi les habitans des campagnes, qui ayant éte juſqu'à ce jour privés des lumières de la philoſophie, ne ſe sont laiſſé conduire, ou plutôt égarer, que par ceux qui ont ſu capter leur confiance par des ſignes extérieurs plus ou moins ſéduiſants. Je dis ſeulement que le médecin doit les tolérer, car l'imagination jouit d'une telle influence ſur le phyſique, & nous voyons tous les jours ce ſeul agent opérer des phénomènes ſi ſurprenans antant en bien qu'en mal, que nous ne devons plus être ſurpris que les prétendus poſſeſſeurs de ſecrets, guériſſent des maladies qui avoient réſiſté aux remèdes ſagement ordonnés de l'art. Nous nous contenterons d'obſerver que ces eſpèces de ſpécifiques n'ont de vertu, qu'autant que les maladies ne ſont pas très-opiniâtres.

(2) Les Lecteurs trouveront peut-être le jugement que je ſemble porter ſur le magnétiſme un peu haſardé ; ceux qui connoiſſent cet art enchanteur, ne manqueront pas ſans doute, de m'appliquer cet adage ſi connu, *ignoti nulla cupido.* Ils auront certainement raiſon, J'obſerverai cependant que n'ayant aucune connoiſſance dans cet art merveilleux, ce n'eſt point un jugement que j'ai oſé prononcer., je n'ai fait qu'expoſer un doute qu'ont fait naître en moi pluſieurs auteurs diſtingués, qui ont vu opérer M. *Meſmer* lui-même, & notamment l'illuſtre M. *Deſbois de Rochefort*, qu'une mort prématurée vient d'enlever à la médecine, & qui a emporté avec lui les regrets de tous ceux qui connoiſſent ſes immortels ouvrages qui faiſoient concevoir de ſi hautes eſpérances. *Voy. la mat. med. de ce ſavant médecin., tom. I. pag.* 31.

» possit, félicissimè succedit. » Commendat adhuc quantitatem mediocrem cujusvis narcotici, immediatè ante accessionem. ex his, cognoscitur sententia hujus celeberrimi auctoris cui lubentissimè adscribo, & censeo quod tempus opportunissimum, sit illud quod est remotissimum, â sequenti paroxysmo. Hæc opinio sulsucitur, me judice, sanâ theoriâ cum optimâ praxi junctâ. Attamen credit *Cullen* quod tempus opportunissimum, sit duobus vel tribus horis ante insultum paroxysmi; hanc praxim reverâ egomet expertus sum. Mense novembri, febre tertianâ detentus, grana duo tartari stibiati assumpsi, duobus circiter horis ante solitam paroxysmi accessionem : multa biliosa vomui diù multum iusudavi, illoque solo remedio jugulata fuit quasi febris. Nonnumquam quoque, me præsenta, magno cum successu administratum fuit emeticum, vigente ebullitionis tempore. Ex his tam diversis observationibus concludere datur, quod emeticum sit adeo præstantissimum remedium, ut quocumque tempore propinetur, miracula, ut ita dicam, producat. Semper tamen cogitabo quod laudabilius sit illud administrare in intermissione.

Quando semel usurpatum fuit emeticum, danda deinceps cathartica, si materia turgeat; maximè certe improbo, qui alternis diebus per totum morbi periodum ad purgantia recurrunt; sed, credo, quod una, vel duo ad summùm catharses absque ullo damno in omnibus ferè casibus dari possunt : cæterum semper est agendum ex circumstantiis, jam pluries enumeratis, & quæ semper medicum dirigere debent, præcipuaque ratio est habenda turgescentiæ de quâ tam frequenter sermo est apud *Hipp.*

Inter varia remedia cathartica, maxime commendanda veniunt cremor tartari, (hobiè dicta *tartrite acidule de potasse)* magnesia & sal epson, (*sulfate de magnésie.*) manna senna, rhabarbarum plurimaque alia vegetabilia. Sæpius *Sydenhamo* ex animi voto cessit sequens decoctum, ♃ rad. gent. sum. cent. cum pauca sen. atque agar. quantitate. clysmata adhuc commendanda veniunt tamquam optimum remedium; tertianas aliquando curavit *Sydenhamus* clysteriis, in diebus intermittentibus per triduum aut quatriduum adhibiti beneficio.

Solum remedium specificum in febribus intermittentibus, est cortex peruvianus. Omnes fermè autores in hisce affectionibus, usum illius substantiæ commendarunt, & illam æquo jure, tamquam mirabili virtute præditam, habuêre. Fateor equidem, quod illa incantamenti instar sæpissimè febrem profliget, fateor quoque quod magnoperè prosit in quibusdam casibus, & ægrotantes è tumulo eripiat, in febribus v. g. malignis.

insidiosis (1). Sed nunc inquirendum venit num illud remedium sit semper apprimè accommodatum therapeiæ febrium intermittentium & num in isto casu quandoque culpandus non fiat abusus ? Præclarum audiamus *Sydenhamum*, verba sua referam, quæ optimâ praxi & quotidianâ observatione confirmantur. « Quartanarum quod attinet curationem, inquit, » nemo est; opinor, in hâc arte vel mediocriter versatus qui nesciat » quam parum votis respondeant methodi istæ omnes quæ huic medico- » rum opprobrio eluendo hactenùs destinantur, si corticem peruvianum » excipiamus, qui tamen inducias sæpiùs impetrat morbo quam eumdem » debellat; cum postquam ad septimanas duas vel tres delituerit magno » cum ægri emolumento....... mox de novo recrudescens haud segnius » quam prius lacessit, atque ut plurimum quotiescumque demum repetatur » illud medicamentum, nonnisi longo temporis tractu, expugnatur. » (*Vid. op. cit. p.* 55.)

Ex his concludendum est, quod raro & nisi maxima prius adhibita cautela, ut inferius dicemus, administrandum sit illud remedium in febribus intermittentibus : re verâ quotidiè observamus, quot mala quot infirmitates inter homines ingerat hæc substantia, quando usurpatur à viris empyricis vel ignaris; quotidiè videmus hydropicos, quorum morbus ortum ducit à curatione febris quartanæ per usum kinæ-kinæ, quando tamen vel votum ægrotantis, vel quædam certæ indicationes, vel aliæ circumstantiæ usum illius remedii exiguunt; tunc prudenter est agendum, multa enim infausta aliter pertimescenda forent, ut brevi docebimur, si audiamus sapientissimum ducem neotericorum.

« Curandum est, inquit *Sydenhamus*, ne præmaturè nimis hic cortex » ingeratur, ante scilicet, quam morbus suo se marte aliquantisper » protriverit (nisi collabescentes & jam fractæ ægri vires eumdem tem- » poriùs sumendum esse dictaverint); neque enim illud solum est me- » tuendum, ne à præpospero ejus usu ineficax iste reddatur, sed etiam ne

---

(1) On a remarqué que depuis quelques années il règne assez communement pendant l'automne à Toulouse, une fièvre remittente, qui s'annonce par des symptômes très-bénins, & qui souvent enlève le malade au moment où l'on s'y attend le moins. J'ai vu opérer des merveilles dans ces sortes de cas par l'usage du quiquina, par lequel M. *Dubor*, célèbre professeur de l'Université de Toulouse, & médecin de l'Hôtel-Dieu *St. Jacques*, commence le traitement de ces maladies.

» de ægri vita agatur, si sanguini omni fermentationis nisu, se despu-
» manti eam derepentè injiciamus remoram. Proximo loco, neque
» catharsi, multo minùs venæ-sectione subducenda est materiæ febrilis
» pars aliqua; quo liberius cortex suo fungatur munere. » (*Vide ibidem.*)

Laudandissimas adhuc regulas de usu kinæ-kinæ præscribet clarissimus *Huxam*: « On remarque même communément, inquit ille medicus; que
» lorsque la fièvre, de tierce qu'elle étoit, dégénère en une fièvre
» demi-tierce ou quotidienne ou anticipe considérablement le temps du
» paroxysme régulier, elle est aussitôt suivie d'une fièvre intermittente
» ou continue. C'est-là l'effet que produit un régime trop chaud, ou
» *l'usage précipité du quinquina*. L'expérience nous apprend que les fièvres
» quotidiennes & les fièvres doubles tierces..... ne demandent le quin-
» quina, qu'après qu'on a mis en usage les potions salines, les atte-
» nuans & les délayans; & lorsque les circonstances l'exigent, la saignée,
» les purgatifs & les vomitifs. Je trouve effectivement à propos dans
» ces sortes de fièvres intermittentes, de ne jamais donner le quinquina,
» sous quelque forme que ce puisse être, qu'après *un certain nombre d'accès*,
» & qu'après avoir tiré plus ou moins de sang aux sujets disposés à la
» plethore. » (*Ess. sur les fiev.*, *p.* 27 & 28.) Idem dicendum est de febribus tertianis & quartanis, id indicat idem auctor quum de tertianis loquendo sic pergit: « Ne vous hâtez jamais d'employer le quinquina ni
» les chalibées, lorsque le malade a le visage pâle, le bas-ventre tendu,
» & qu'il est constipé. » *ib.*

Diverso modo administrari potest illud remedium, alii substantialiter alii decompositum dari volunt. Hic notatum volumus, quod in extratum, majorem amittat virtutis suæ partem, & quoties quo quovis modo decompositum detur; inane ferè semper fieri. Alias sub formâ pillularum, alias in infusione vel in decoctione datur. In nosocomio Tolosano dicto de *St. Jacques*, anteponitur kina rubrum, simpliciter in q. s. vini albi infusum. In nosocomio Monspeliensi dicto de *St. Eloy*, vulgò administratur in apozematibus, & tunc adjungitur diversis aliis substantiis, quales sunt cremor tartari, flores cammomilli, cum syr. cap. vel absy., &c.

Sequens apozema sæpissimè mihi commendatum fuit ab ill. quodam medico ℞ ℥jv K.; mellis circiter ℥ij, paulatim admixta aqua vitæ, cum aquæ communis q. s. frequentem methodum cæteris anteponebat *Sydenhamus*, ℞ per. corticis ℥j cum syr. rosarum rubr. ℥ij misceatur. Æger vero quantitatem nucis moschathæ majoris, manè & sero quotidie devoret, diebus

à genuino paroxyſmo vacuis, donec confectionem omnem aſſumpſerit; Repetatur porro ad tres alias vices, interjectis ſemper diebus quatuor decim.

Hic forte antequam corollarium generale noſtrum, circa cort. per., ponamus locum invenire debet illud febrifugum quod tamquam certiſſimum adminiſtrabat *Boerhaavius*. ℞ ſalis polyc., ℥ij rad. aper. ſyr., ℥ij opii puri, G. ij & ſal. abſy. ℥ij, has diluebat ſubſtantias in aquâ ſtill. amarâ ℥v & bis in ſemi horâ 1 cochl. præbebat, deinceps ſuadebat potionem dect. ſudoriferi.

En præcipua quæ dicenda erant de uſu illius remedii tam laudati, ſæpeque tam periculoſi; & ex his omnibus concludere eſt, 1°. quod kina febrem fere ſemper tollat; 2°. Quod in febribus malignis inſidioſis, ſit utiliſſima imo etiam neceſſaria illa ſubſtantia; 3°. quod in febribus intermittentibus juvenes corripientibus, melius ſit nullum facere remedium, & conſequenter quod præſtantius eſſet corticem peruvianum illis non adminiſtrare; 4°. quod cum dari debeat, illud non agendum niſi maximâ adhibitâ cautelâ; ſcilicet poſt plures paroxyſmos, & uſurpatis prius ſanguinis miſſione & emeticis ſi indicantur illa remedia; 5°. quod cum febriſcitantes ætatis provectiores, correpti fuerint autumnalibus tertianis vel quartanis, non etiam diuturnitatis, verum & ipſius mortis, grave periculum immineret, melius illis convenire poteſt.

Adſunt cauſæ quæ impedimento eſſe poſſunt ne duæ propoſitæ noſtræ indicationes generales adimpleantur. Illæ quidem cauſæ ſunt vel diatheſis inflammatoria, in ſyſtemate prædominium tenens vel congeſtiones in viceribus abdominalibus. Prior, ſanguinis miſſione & regimine anti-phlogiſtico; poſterior vero emeticis & catharticis amovendæ ſunt.

En remedia generaliora quæ præſcribi poſſunt ad curationem febrium intermittentium: fateor quod ordinem latiorem & omnibus quibuſcumque circumſtantiis accommodatiorem ſequi potuiſſem & forte debuiſſem, ſed attendatis, AUGUSTISSIMI PATRES, lectoreſque benevoli, quod limites diſſertatiunculæ non ſinant colligere quæcumque de iſtâ materiâ locuti ſunt auctores commendatiſſimi, quæque illorum operibus adjici poſſint; cæterum ex his propoſitionibus late ſumptis, facile eſt ordinem certum concipere, & remedia accommodatiſſima in his circumſtantiis febrium intermittentium, etiam de quibus non egimus, dignoſcere.

Nihil dicam de morbis qui conſequi ſolent febres intermittentes & præſertim autumnales, nec de viis & regimine quibus præcaveri queunt. Videre eſt quæ de iſtis dicta ſunt apud *Sydenhamum*, *Grant*, &c. ſed

antequam finem huic opufculo imponam, pauca adjiciam de febrifcitantium dietâ, circa quam in errore magno quotidiè incidit populus, & neglectis fapientium medicorum præceptis, vox dieta apud illum idem fonat, ac abftinentia ciborum rigorofa. Quotidiè videmus homines nomen medici ufurpantes, quorum tota fcientia in eo confiftit ut naturæ votis femper obftent quorumque mandata infracta; falutem ægrotantibus præftant, omnibus ægri defideriis, quæcumque fuerint, femper adverfantes. Naturam agere cogimus aïebant olim quidam medici, & illorum præcepta, confequentiæque ab illis deductæ, quantumvis infaufta humanos. Generi, quofdam adhuc fautores reperiunt. Hodiernis autem diebus, alia non minùs perniciofa graffatur fenteutia: dietâ & aquâ debellandi funt morbi, quidam dicunt: multi, ut jam dixi, per dietam abftinentiam à cibis audientes, quotiefcumque ægrotanti cuidam curam impendunt, etiamfi ille fame crucietur, alimenta illi denegantur. Hinc fit; ut nihil fuppeditans naturæ vires à morbo exhauftas tandem fames abit & æger inanitati fuccumbit: nemo fame perit, alii dicunt: equidem non fubito; fame ficut veneno pereunt ægrotantes; fed abftinentia nimis fevera exfolutioni virium anfam præbet, & neminem fugit quanta ex iftâ causâ feperveniant mala.


Expofitis præcipuis erroribus populi & nonnullorum medicorum circà dietam, nunc regula quædam certa naturaliter exponenda venit. Breviffima eft fanè illa regula quæ medicum femper dirigere debet: naturam fequi, & ab illa numquam dicedere, en officinm medici; totaque ejus fagacitas in eo tantummodo confiftit ut vera naturæ vota, à quibufdam defideriis in imaginatione oriundis difcernat; natura; ut aït vulgus, non eft noverca, in errorem inducere non vult qui ftudent indicationibus fuis. Hunc perfectiffimum librum unicè confuluit divus *Hippocrates*, & illa eft fanè ratio que inimitabilem ferè illum fecit optimas tradidit regulas de dietâ, in prima fectione aphor. quæ totæ verfantur circà illud principium: *gravius eft peccatum in tenui, quam in paulò pleniori victu*. Ex his patet, quod, re verâ, medicinæ parens, legesnaturæ novit & apprimè fecutus eft; aft vero evidens eft, quod non vultdari, alimenta per exacerbationem morborum quorumlibet; fed in illo morbi periodo vulgo ægrotantes nihil appetunt; hinc ipfæmet ruerent objectiones quæ adverfus ifta præcepta proponi poffent.

Nunc quædam ad calcem addenda funt de potu, exacerbante paroxyfmo; qui femper naturam coercere volunt, potum calidum continuò imperant, dicentes, quod frigus cum corporis calore junctum mortem inferre valeret,

En

En adhuc perniciosissimus alius error : in exhorrescentia equidem minus convenit potus frigidus, sed vulgò non desideratur. Cum vero ebullitionis tempus supervenit, maximè appetitur aqua frigidissima, & appetitus ille iterum naturæ infallibilitatem confirmat; ut enim potata fuit aqua frigida, (dummodo tamen non adsit diathesis inflammatoria, patet enim quod in hoc-ce casu potus quivis frigidissimus, rejiciendus esset) mox invadit sudór, spasmus tollitur, & febris cedit. Ex his concludam, quod quoties desideratur aqua frigida, tamquam optimum remedium tunc est habenda, & consequenter concedenda. Maximè commendandi sunt iterum potus aciduli, & inter hos præsertim acida vegetabilia, nemo nescit quantum illa putriditatem corrigere valeant, cæterum certissimam adhuc habemus regulam, ad dignoscendos præstantiores potus; & quod supra diximus post *Sydenhamum*, de remediis, idem nunc dicendum, puto, de diætâ scilicet quod agendum sit in omnibus circumstantiis, JUVANTIBUS & LÆDENTIBUS. In errorem inducere posse hanc regulam, non existimo.

FINIS.



ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES

D. PAULUS - JOSEPHUS BARTHEZ, *Universitatis Cancellarius.*
D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*
D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*
D. FRANCISCUS BROUSSONET.
D. FRANCISCUS VIGAROUS.
D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.
D. HENRICUS FOUQUET.
D. JOANNES-BAPTISTA-TIMOTHEUS BAUMES.